



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

Lugduni, 1652-1663

Caput 2. De Impedimento Erroris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80577)

ta Clericorum, & laicorum. Quia laici non possunt per se solos aliquid spectans ad leges Ecclesiasticas immutare. Coninch d. 30. num. 13. Filliuc. tract. 10. p. 2. cap. 1. qu. 5. Sanchez lib. 7. d. 4. num. 11.

⁵ Matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti, culpa lethalis est. Quia contrahitur iuris naturalis præcepto, si de iure natura impedimentum sit, vel Ecclesiastici, si de Ecclesiastico sit iure, idque in re magni momenti. Filliuc. tractat. 10. part. 2. cap. 1. question. 7. Sanchez lib. 7. dub. 4. num. 1. & 4. Sylui. in Supplem. question. 50. artic. 1. qu. 4. conclus. 1. Ex metu tamen graui cadente in constantem virum cum hoc impedimento contrahere, vacaret culpa lethali, ex natura rei, & cessante scdalo, modo absit animus consummandi, & metus in odium fidei, vel Religionis non incurtiatur. Vasqu. Suar. Becanus, & Salas apud Diam p. 3. tr. 6. resol. 48. & 83. Legendus Sanchez lib. 7. d. 5.

⁶ Impedimenta, quæ non solum impediunt Matrimonium, sed etiam dirimunt iuxta ius antiquum sunt duodecim; secundum autem ius nouum quatuordecim annumerantur. Nam Tridentinum duo addidit, nempe scriptum, & defectum præsentiae Parochi, & testium. Omnia hæc impedimenta hisce vulgaribus carminibus continentur:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibus,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptæ sit mulier, nec parti reddita tuta,
Hæc facienda vetant connubia, facta retrahant.*

Impedimenta autem non dirimentia, sed impedientia Matrimonium sunt quinque: Interdictum iuris, Catechismus, Sponsalia prius celebrata cum altera, Votum simplex castitatis, vel Religionis, vel Ordinis Sacri suscipiendi, & crimen sextuplex. Singula præstringam.



CAPVT II.

De Impedimento Erroris.

⁷ Error in Matrimonio potest esse quadruplex.

QUADRUPLEX in Matrimonio potest error contingere. Primus est personæ, cum vna pro alia supponitur. Secundus est conditionis seruilis, cum contrahens liber, existimat se cum libera contrahere, & est ancilla. Tertius est qualitas, cum credit se contrahere cum pulchra nobili, virgine, & est deformis, plebeia, corrupta. Quartus est fortunæ, cum putatur dives, & est pauper. Quilibet ex hisce erroribus, vel est antecedens actum, nimirum causam actui faciendo præbens, ita ut, eo non existente, actus nequaquam gereretur: vel est concomitans actum, qui scilicet non inducit ad volendum, sed ita concomitatur actum, ut eo non existente, actus fieret. Igitur certum est apud omnes, Matrimonium contractum cum

errore antecedenti circa substantiam personæ inuolidum esse, non solum iure humano, sed etiam iure naturali. Quia error libertatem, & consensum aufert: At Matrimonium abique consensu est iure naturæ irritum. Unde non solum inter fideles, sed etiam inter infideles Matrimonium initum cum errore personæ inuolidum est. Quia iuri naturæ infideles sunt subditi, nec potest Ecclesia statuere, ne error personæ Matrimonium dirimat. Sanchez lib. 7. dub. 18. num. 21. Filliuc. tractat. 10. part. 2. cap. 2. num. 32. Reginald. lib. 31. num. 92. Gutier. c. 89. num. 2. Coninch. d. 31. dub. 1. Sylui. in Supplem. q. 5. l. art. 2.

Error personæ concomitans, id est, quando quis contrahit cum Maria existimans esse Antoniam, sed ita est dispositus habitualiter in voluntate, ut cognita Mariam æque libenter, aut libentius duceret, reddit adhuc Matrimonium inuolidum. Quia ut validum sit Matrimonium, necessarius est consensus, ac voluntas positua: error vero concomitans, quævis non efficiat, actum esse inuoluntarium, efficit tamen non esse voluntarium positum. Henriquez lib. 11. cap. 10. numer. 1. Coninch. d. 31. dub. 1. n. 9. Bonac. hic q. 3. punct. 2. n. 4. Sanchez lib. 7. d. 18. num. 6.

Matrimonium celebratum cum errore qualitatatis, seu dolo antecedenti, qui ineundo Matrimonio causam præbet, alias non ineundo: non est inuolidum. Quia tale Matrimonium est simpliciter voluntarium quoad naturam, & substantiam rei, quamuis quoad accidentia non sit voluntarium. Tamen si qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu matrimoniali, siue exprimitur verbis, siue mente contrahentis retenta sit: Matrimonium esset inuolidum: verbi gratia, si quis dicat: Duco te in uxorem, si diues sis, vel nobilis: inuolide contrahit, si illa non est diues, vel nobilis. Præterea si error qualitatatis in errorem personæ redundet, Matrimonium erit inuolidum defectu consensus absoluti. Quia erratur circa personam. Tolet. lib. 7. cap. 3. Nauar. cap. 2. num. 32. Gutier. capite 89. num. 3. 6. & 7. Coninch. dub. 11. numer. 11. Filliuc. tract. 10. part. 2. cap. 2. question. 2. Sanchez lib. 7. dub. 18. numer. 18.

Verum ad dignoscendum, quando error qualitatatis in errorem personæ redundet, est aduertendum, quod quando qualitas, in qua erratur, designat aliquam certam, & determinatam personam distinctam ab ea, quæ præsens est, tunc error circa qualitatem in personæ errorem refunditur, ac Matrimonium dirimit. Exempli gratia, si Maria contraxit Matrimonium, cum Francisco, qui se fingebat filium Regis, alicuius nominati expressi, aut Principis eximij, cuius verè non erat filius: nihilominus Maria filium Regis sibi in mente proposuit, in illumque consentire directè voluit; in hoc casu error qualitatatis dicitur in errorem personæ redundare. Quoties autem qualitas, non determinat indiuiduam personam, non est error personæ, sed solius qualitatatis. Exempli gratia, si quis se filium Regis fingat minimè explicans, cuius Regis sit filius: contractum cum tali errore Matrimonium est validum. Quia circa huiusmodi personam absolutus adest consensu.

Seet. I. De Imped. Matr. Recep. Senten. 193

consensus. Reginal. l. 3. n. 95. Nauar. c. 2. n. 32. Sanch. l. 7. d. 18. m. 26. & 27. Coninch. d. 3. n. 1. 2. Bonac. hic. q. 5. p. 3. n. 7.

11 *Sequitur in Matrimonio inuendo sicut naturalis ad copulam impotentia coniugalem. Quia seruitus cognita non aduersatur Matrimonij substantia.* Sanch. l. 7. d. 19. n. 13. Vnde validum est Matrimonium seruorum inter se: & Matrimonium liberæ cum ancilla: vel liberæ cum seruo, non ignorata seruitutis conditione. Solo autem iure Ecclesiastico hoc Matrimonium irritatur, quamuis id valde iuri naturali sit consonum. Sanchez. l. 7. d. 19. n. 13. Syluest. verb. *Matrimonium* 8. q. 2. Angel. ibi 3. imped. 4. num. 5. Filliuc. tra. 10. p. 2. n. 11. Henric. l. 1. c. 10. n. 3. Victor. de Matrim. n. 170.

12 *Non omnis error conditionis efficit, ut Matrimonium sit nullum, sed quando conditio errantis sit deterior, verbi gratia, quando liber contrahit cum serua, quam credebatur liberam.* Quando autem persona, cum qua contrahitur, est æqualis aut melioris conditionis, Matrimonium non est inualidum. Quia hoc impedimentum inducitur fuit ab Ecclesia ad tollendâ inæqualitatem, & ne fieret alteri contrahenti iniuria. Magna autem esset inæqualitas, si validum esset Matrimonium, quando sit deterior errantis conditio, id est, quando liber contrahit cum serua, quam credebatur esse liberam, si autem liber credit alterum esse seruū, & sit liber siue sit ipse seruus, siue liber: valebit Matrimonium. Quia erras inuenit conditionem digniorem, quam ipse putabat. Similiter valebit, si seruus contrahat cum ancilla, credens eam liberam. Quia serui conditio non efficitur deterior, sed æqualem suæ reperit conditionem. At si liber contrahat cum serua sciens vel opinâs, vel probabiliter dubitâs esse seruam, validum erit Matrimonium. Quia hoc in casu illi iniuria non fieret, cum inæqualitas voluntaria esse videatur. Bonac. hic. qua. 3. punct. 3. num. 4. Tolet. ibi 7. cap. 3. num. 4. Filliuc. tra. 10. p. 2. n. 44. Nauar. cap. 2. n. 11. Sanch. l. 7. d. 19. n. 23. Rebel. l. 3. q. 3. Seet. 2. num. 12.

13 *Quando Dominus seruum tradit liberæ in Matrimonium nescienti seruitutem, hoc ipso illam à seruitute liberat. Idem dixerim, si tradat ancillam libero seruitutis conscio, & ancillam per instrumentum dotet. Fit enim illa hoc ipso libera, in utroque casu coniugium est validum.* Authent. *Ad hoc, c. de stat. lib.* Sanch. l. 7. d. 20. Filliuc. tr. 10. p. 2. n. 45.

14 *Inuito autem Domino seruus validè potest contrahere coniugium cum serua, vel libera, modo seruitus sit libera nota. Cauere tamen debet seruus, ne dominum priuet debitis obsequiis, cum per Matrimonium non eximatur ab obligatione erga dominum. Contracto autem Matrimonio seruus ille coniungi, vel Domino potius obsequi debet, cuius necessitas magis viget: & si cetera sint paria, coniungi potius est satisfaciendum.* Gutier. c. 92. Sanch. ibi 7. d. 21. Sylui. in supplem. q. 52. a. 1. Bonac. qu. 3. punct. 3. num. 7.

15 *Non potest dominus absque mortali piaculo vendere seruos in locis distantibus, in quibus illi non possint sibi debitum reddere, quando Matrimonium de domini consensu est contractum. At quando ignorante, aut inuito domino.* Esch. & Mend. Theol. Moral. Tom. III. PII.

no Matrimonium contractum est, non debet tali venditori in parte remota illos vendere absque re seruos in necessitate, v. gr. si inueniat iustum pretium in locis distantibus eodem loco contrarium autem facere culpam tribus, in venialem non excedet Henric. l. 1. c. 10. num. 4. quibus non Tolet. l. 7. c. 7. n. 3. Nauar. c. 2. n. 34. S. v. *Matrimonium, de imped. m. 1.*

Post contractum vero Matrimonium vit in reddere. seruum potest se vendere, etiam renitente vxore non ita vxor absque viri consensu Et quoad *Vr post cõ* seruitutem, & libertatem filij sequuntur matris *tra. 10. p. 2. n. 11.* conditionem, nisi contrarium sit per consuetudinem aliquo in loco receptum. Quoad honorem *num. 16.* res tamen, & nobilitatem patris conditionem se in *se in ser* sequuntur Si mater fiat libera vel conceptionis *um vende* tempore, vel partus vel tempore medio, filius re, renitens non remanet seruus: nisi quando mater gravida *re vxore:* sit serua iure belli. Quia in hoc casu foetus sit *hoc minie* seruus cum matre, quamuis mater fuerit *conne* ceptionis tempore libera. Filliuc. tr. 10. p. 2. n. 55. Gutier. c. 93. Sanch. l. 7. d. 27.



CAPVT III.

De Impedimento Voti.

17 *Fide tenendum, votum solemnè Castitatis in Religionis approbatæ professione emissum, Matrimonium etiam consummatum post ipsam professionem dirimere: & consequenter Religiosum professum inualidè contrahere Matrimonium. Sic enim definitur in Concilijs & nouissime hæc veritas definita est in Tridentino sess. 4. can. 9. Eandem viam dirimendi Matrimonium subsequens, Gregorius XIII. Iesv dirimit concessit tribus votis simplicibus, quæ emittuntur societatis Iesu Fratres, peracto Nouitiatu bienio, vt patet ex nostræ Religionis concessa Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino.* Sanch. l. 7. d. 26. Sylui. in supplem. q. 53. a. 2. Gutier. disp. 94. Valent. to. 4. d. 10. q. 5. punct. 1.*

18 *Quæris, quonam iure Matrimonium sit irritum post solemnè castitatis votum, vel in ordine Sacro, vel in professione contractum? Scio, Doctores varia in placita abire (de quo seet. 2.) ex receptiori sententia respondeo, solo iure Ecclesiastico huiusmodi dirimi coniugium. Quia votum simplex non dirimit Matrimonium. Ergo neque votum solemnè: votum enim solemnè nihil habet supra votum simplex, ratione citius magis dirimat Matrimonium simplex, excepta Ecclesiæ præscriptione, sicut enim in voto solemnè Deo persona traditur, ita etiam in simplici. Igitur solo iure Ecclesiastico votum solemnè dirimit Matrimonium. Existimo, hoc definitum esse à Gregorio XIII. in Bulla *Cruciata.* Reginal. lib. 3. n. 123. Gutier. cap. 94. num. 6. L. si. lib. 4. c. 41. m. 68. Bellarm. lib. 1. de Monach. c. 34. Filliuc. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 118. & 119.*

OBAR
Mort
III. IV
IV